

2497. *of. Diss. jur. civ. N. 46.*
DISSERTATIO JURIS GERMANICI
DE

0.45.
LUCRO DOTIS EIUS-
QUE PRIVILEGIO IN CON-
CURSU CREDITORUM,

von
Der Verrechtsgütlichen Verbesserung.

QUAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI
DN. FRIDERICI GOTTLIEB
STRUVII, D.

REGIÆ CELSITUDINIS DUCIS SLESVICO-HOLSATICI CONSI-
LIARII, PROFESSORIS JURIS CANONICI, PANDECTA-
RUM AC PRÆXEOS ORDINARII,

DN. FAUTORIS ATQVE DOCTORIS SUI OMNI GENERE OB-
SERVANTIÆ NULLO NON TEMPORE SUSPICIENDI
LITTERARUM FAUTORUM SCRUTINIIS EXPOSITURUS,

IN PUBLICA ARENA DEFENDET TUEBITURQUE
AUCTOR ET RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS FLAHT,
L. L. CULT.

SUBERINO-MEGAPOLITANUS.

Diss. jur. civ.

164, 22

DIEM IV. SEPTEMBR. MDCCXXVI. H. L. Q. C.

KILONII,

LITTERIS JO. CHRISTOPHORI REUTHERI, ACAD. TYPOGR.

1. 320.

VIRO PERILLUSTRI ET EXCEL-
LENTISSIMO,
DOMINO
JOACHIMO OTTONI
BASSEVITIO,
DALVITH ET WENTFELDI DYNASTI,
EQVITI ORDINIS ALEXANDRI
NEVSKII,
REGIÆ CELSITUDINIS,
SUPREMI DUCIS SLESVICI, DUCIS
HOLSATIÆ,
ÆRARI PRÆSIDI, ET QUÆSTURARUM KI-
LONIENSIS, BORDESHOLMIENSIS AC NEO-
MONASTERIENSIS PRÆFECTO,
DOMINO AC PATRONO SUO
INDULGENTISSIMO.

VIR PERILLUSTRIS,

DOMINE INDULGENTISSIME.

Si insignem illam & in tanta fortuna ac fastigio singularem gratiam, qua TIBI VIRO PERILLUSTRI me gratiosissime complecti allubuit, devoto ac demississimo animi cultu recolam; nil æquius ac justitiæ magis conveniens esse arbitror, quam Tuo Perillustri Nomini tenues hæc studiorum meorum consecrare primitias. Haud equidem me vana vexat opinio, ac si in tenui hacce quam TIBI VIRO PERILLUSTRI humillime offero, charta, grati animi monumentum extruere possem, quin potius certissime mihi persuadeam, nec æra nec marmora esse suffectura, si tamdiu erga TE VIRUM PERILLUSTREM pietatis meæ & obsequii signa deberent extare, quamdiu gloriosissima TUORUM VIR PERILLUSTRIS meritorum fama perdurabit. Nihil itaque aliud molior, quam ut publice profitear, TE VIRUM PERILLUSTREM in conferendis mihi beneficiis fuisse propensissimum, me in iis depræ-

di-

dicandis esse infirmissimum. Hinc neque in Virtutum TUA-
RUM laudes inconsultius decurram, cum verendum mihi
sit, ne id vel ægre feras, vel ego parcius, quam par est, de
iis edisseram; TUA vero VIR PERILLUSTRIS inusitata pro-
pensio, me haud dubitare finit, fore, ut gratioso vultu, ho-
sce, qui per TE vitam trahere gestiunt, conatus ceu constan-
tissimum submissi erga TE cultus mei monumentum susci-
pias. Quodsi a TE VIRO PERILLUSTRI obtinuerim, vo-
torum meorum habebō complementum. Coeterum Supre-
mum Numen supplici mente precor, ut TE VIRUM PER-
ILLUSTREM diutissime sospitet, Consilia TUA optato nun-
quam destituat eventu, ac cum PERILLUSTRI Domo
TUA omnis generis benedictionibus cumulet.

**PERILLUSTRIS ET EXCELLEN-
TISSIMI NOMINIS TUI**

Dab. Kiliae die ult. Aug.

M DCC XXVI.

devotissimus Cultor

JOHANNES CHRISTIANUS FLAHT.



Th. I.

Dotem mulierum, juxta Jus Germanicum anti-^{Dos mulie-}
quum, maxime differre a dote, in conceptu^{rum, juxta}
Juris Romani sumta, ex principiis & historia^{Jus Ger-}
Juris Germanici facile evincitur. Beyer. in Po-^{manicum}
sit. ad Pand. Tit. de Jur. Dot. pr. Nimirum Ju-^{antiquum}
re Romanorum dotem Uxor vel cognati ejus^{& Jus Ro-}
marito constituebant, pro ferendis oneribus matrimonii L. 1. ^{manum,}
ff. de Jur. Dot. L. 56. §. 1. eod. At Jure Germanico, ^{invicem}
dotem constituebat Uxori. Prout de more hoc antiquo memo-
rat Tacitus de Morib. German. Cap. 18. ibi: ^{differt.}
Dotem non uxor ma-
rito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes & propinqui,
ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita,
nec quibus nova nupta comatur; sed boves & frenatum equum,
& scutum cum framea gladioque. In hac munera uxor accipi-
tur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc ma-
ximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales Deos arbi-
trantur. Uti enim veterum Germanorum facultates in re ma-
xime pecuaria ac militari consistebant, vid. Cluveri Germ. An-
tiqua. L. 1. Cap. XVIII. §. 2. ita quilibet maritus de proprio in
his rebus dotem uxori offerebat, in secretum quasi matrimonii,
atque ut vidua post mortem mariti, & memoriae illius exci-
tamentum, & vitae honestius transigendae subsidium aliquod
haberet. Cum enim teste eodem Tacito de Morib. German.

A

cap.

cap. 19. juxta consuetudinem quarundam Civitatum, foeminae semel nuptae ad secundas nuptias non transfirent, ita enim d. l. ait: *Melius quidem adhuc ea Civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum spe votoque uxoris semel transigunt. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* Idcirco in memoriam bene transacti matrimonii atque ad honestiorem vitae sustentationem maritus tale quid Uxori offerre solebat. Add. Strauch. in Dissertat. ad Tacit. d. l. Schilt. *Prax. Jur. Roman. in foris German. Exerc. XXXVI. th. 68. & seqq.*

Th. II.

Inde origo
munerum
matrimonialium
inducitur.

Ex hac ipsa proinde dotatione maritali erga uxorem, successu temporis alia matrimonii munera, jure Teutonico usitata, originem traxisse credibile est, uti vetus appellatum mundium, sponsalitia largitas, dotalitium, cibaria domestica, quorum munusculorum, tum antiquo Longobardorum, tum Saxonum ac Scotorum jure frequens fit mentio. *Sachsen-Spiegel Lib. I. art. 21. Schilt. in Cod. Jur. Feud. Alemann. passim.* Posteaquam enim in Provinciis Germaniae Jus Romanum simul introductum fuit, ita, ut dos ab uxore ad maritum fuerit illata, credibile est, in locum maritalis illius dotationis, & quasi in compensationem & remunerationem illatae ab uxore dotis, dicta illa matrimonii munuscula eum in finem retenta fuisse, ut inde vidua, dote sua cum illis quodammodo recepta, eo magis honestam vivendi conditionem, post mortem mariti inveniret.

Th. III.

Ad munera
matrimonii
pertinet
lucrum
dote.

Ad haec porro matrimonii bene consummati praemia, etiam referri potest LUCRUM DOTIS moribus nonnullarum Provinciarum Germaniae singulariter inductum, & germani-

co

co idiomate die Verbesserung vocari solet: Stryck. *Exam. Jur. feud. Cap. 21. quast. 17.* Item Landes-übliche Verbesserung, prout occurrit in Ordinatione Dicasterii Megapolitani *Tit. 45. p. 11. verb.* Und soll seine Ehe-Frau der Landes-üblichen Verbesserung nicht zugenieffen, sondern allein ihren eingebrachten Brautshatz zu fordern haben. Pariter dicitur die Gräuliche Gerechtigkeit. uti habet das Project des Mecklenburgischen Lehn-Rechts *Tit. XII. art. 17. ibi:* Da aber der Mann seiner Frauen gar kein Leib-Geding vermachtet noch versprochen, oder auch die Frau das vermachte oder zugesagte Leib-Geding anzunehmen Bedencken hätte, und an dessen Statt die nach Landes-Gebrauch ihr gebührenden Gräulichen Gerechtigkeit wehlen wolte, welches denn in ihrer Willführ stehet &c. *Add. Tarnov. de Feud. Mecklenburg. Part. I. C. 3. Sect. 2. §. 30.* Item dicitur Heyrahts-gütliche Verbesserung vid. Ludewig in *Dissert. de dote Mariti. Differ. II. lit. b.*

Th. IV.

Deprehenditur vox *Lucrum dotis* in multiplici sensu apud Scriptores. Primo enim in foro *Civilis* juris dicitur pro eo, quando maritus vel propter pacta constitutioni dotis adjecta propter adulterium Uxoris dotem retinet atque ita *lucrari* dicitur. Secundo *lucrum dotis* in sensu juris communis usurpatur pro *fructu* dotis pro ferendis matrimonii oneribus, prout legitur in *L. 20. C. de Jur. dot. ibi: Pro oneribus matrimonii, mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit* &c. *Add. L. 7. ff. de Jur. dot.* Deinde in foro *Statutario* ac *Provinciali* pariter vox *lucris* dotis usurpatur vel de *fructibus* rerum dotalium, uti significatum hunc exhibet Rolà Valle

A 2

Conf.

Conf. 74. n. 60. verb. nam ratio onerum propter quæ conceditur lucrum marito a lege municipali. Vel pro retentione dotis ac remanſione illius penes maritum, prout integris tractatibus tale explicant Phanucius de Phanuciis de Lucro dotis. Extat in Tr. Tr. Tr. IX. & Lugd. 1625. 8. Item Job. Frid. Solis de Dote & bonis conſtante matrimonio quaſitis Francof. 1602. fol. ac imprimis Rol à Valle de Lucro dotis quaſt. 4.

Th. V.

Dicitur
etiam pro
augmento
dotis.

Singulari præterea notatione vox *Lucrum dotis* Jure conſuetudinario ac municipali occurrit, ut denotet certum *augmentum & acceſſionem* dotis ab Uxore illatæ, qua Uxor ejusve hæredes in repetitione dotis fruuntur. Atque hæc ſignificatio ad noſtrum inſtitutum ſpectat; Cujus proinde uſus cum non æque omnibus pateat, nec ſcriptis publicis per omnia diſcuſſus ſit; ideo præſenti Diſſertatione de natura illius, origine ac privilegiis, præſertim in Concurſu Creditorum, agere inſtituimus.

Th. VI.

Descriptio
Lucri Do-
cis.

Describimus proinde *Lucrum dotis*, quod ſit; *Quando Uxori, ultra dotem illatam, certa pars & quidem plerumq; dimidia ex bonis mariti assignatur, ita ut mortuo marito, illud additamentum una cum dote, acceſſionis jure, petere queat.* Et hinc quæ 100 intulit, ultra ea, mortuo marito, adhuc repetat 50, prout notat Stryk. *Ex XVI. Jur. Feud. Cap. 21. quaſt. 17.* Solet nimirum plerumque in illis locis, ubi tale *lucrum dotis* eſt receptum, *Pactis Conjugum dotalibus* caveri, atque ejus quantitas determinari. Uti enim alias de Jure Communi pacta Conjugum ſuper dote ſunt valida, quæ dotis conditionem non reddunt deteriore. *L. 14. ff. de Pact. dotal. L. 17. ff. eod.* ita quoque de hoc *lucro dotis* pactis dotalibus conveniri ac quantitas illius variari poteſt, neque enim præciſe *dimidiam* dotis quantitatem continere debet, ſed poteſt *infra eſſe*, tertia vel quarta dotis pars. Eſt enim *dimidia* poſita

a Lege municipali tantum propterea, ne quantitas excedatur, aut nimis prægaventur bona defuncti in præjudicium forte liberorum, Agnatorum aut Creditorum, ut vero minuatur consensu partium, æque interdictum non est, cum quilibet favori pro se introducto renunciare queat. *L. pen. Cod. de pact.* Atque huc collimat §. 18. der Mecklenburgischen Ritterschafft *Reversalien* de Anno 1621. verb. Daß auch die verwittibten Edel-Frauen, wann Sie zur andern Ehe schreiten, ihren einhabenden Wittthum gegen Erstattung des eingebrachten Ehe-Geldes, Besserung und was dem anhängig, denen Lehns-Folgern cediren und abtreten, erachten wir denen Rechten und Herkommen gemäß; Es wäre dann, daß in denen Heu-vahts und Wittumb Verschreibungen, so mit Fürstlichen und Bäterlichen Consens aufgerichtet, einanders versehen und enthalten, dabey es dann billig zu lassen &c. Genus ergo hujus Lucri est *additamentum* sive *augmentum* dotis, uti etiam describit Mevius juxta mores Pomeranicos *Part. VII. Dec. 129. n. 1.* id quod etiam moribus aliarum Provinciarum, ubi viget, est conveniens; Habetur vero pro tali augmento, quod per Legem ac Consuetudinem municipale junctum est *repetitioni dotis*, ut tanquam ejus *accessorium* habeatur, & competat ejus petitio, licet specialiter pactis dotalibus de illo lucro dotis provisum non fuerit, quæcunque enim beneficia ipso jure competunt, ea dantur, etiam absque reservatione sibi per pacta facta. *Quantitatem* porro dum diximus, intelligimus *lucrum pecuniarium* dotis, ejusque taxam & æstimationem, sive ergo pecuniam sive aliam rem Uxor dotis loco intulerit, accipit certam quantitatem sive æstimationem, proportionatam ad quantitatem vel æstimationem illatæ dotis.

Th. VII.

Certe morem augmentandi ac meliorandi dotes femi-

A 3

Mos an-
na-gmmandi

dotis fa-
minarum
jam Græcis
fuit cogni-
tus.

narum, jam inde a Græcorum institutis deducunt, quorum
 ὑπόβολον in huic censum referunt; Denotat nimirum illa vox,
 quoad significationem suam verbalem *subiectum* sive *adjectum*
 aliquod, & ita prædicatum plurium rerum recipit. Et licet
 incertum sit, num *specificè* tale vocabulum de lucro atque in-
 cremento dotis foemininæ usurpatum fuerit, uti bene monet
 Gundling. in *Diss. de Empt. Uxor. Cap. 3. §. 11.* Attamen res ipsa
 negari non potest, scilicet, usitatum fuisse Græcis, aliquid
 doti *super adicere*. Confer. Salmas. *de Modo Usurar. Cap. 4. pag.*
150. 151. seqq. Cum enim vetustissimis Græcorum Solonis &
 Lycurgi Legibus esset cautum, *ne ab Uxore exigeretur dos*, uti
 docet latius Petitus *de Legib. Attic. Lib. 3. §. 3.* Perizonius *ad Leg.*
Vocon. p. 87. seqq. sed potius ut mariti Uxores dotarent; Eve-
 nit tamen quandoque ut Uxor, opibus forte instructa, dotem
 ad maritum adferret, qui proinde talem gratiam atque bene-
 volentiam extra juris ordinem collatam, remunerare solebat
 vel *antidote*, quæ doti erat æqualis, vel *hypobolo*, quod dote
 longe minus atque inferius erat, & partem vel dimidiam do-
 tis vel tertiam vel minorem constituebat. Add. Ludwig. in
Dissert. de Dote Mariti. Differ. II. litt. c. Credibile est cœpisse
 tale institutum, vel certe firmamentum aliquod accepisse, ex
 eo tempore, quo Jus Romanum cum Jure Græcorum fuit com-
 mixtum, siquidem de tali *dotis muliebris accessione a marito*
facta testatur Attaliata in *Synops. Jur. Græc. tit. 27. sub fin.* Et
 plenius adhuc Harmenopulus in *Πρόχειρ s. Promptuar. Jur. Civ.*
Lib. IV. tit. 10. Cujus verba ex versione adscribere non pigebit,
 ita enim loquitur: *Hypobolum appellant, quod ob dotis quanti-*
tatem cum uxore defuncta dos a viro repetitur, hinc subjicitur
ac supponitur, & velut sub dote, quæ in majorem ascendit quan-
titatem, tanquam minus ac infirmius, & cum hac conferatur, po-
nitur. Verbum siquidem ὑποβάλλειν inter varia quæ habet signi-
 ficata

ficata & illud, sub aliquo robustiori ac majori aliud quippiam infirmius ac minus collocare. Unde sane & dotis hypobolum nominatur. Cum ergo in contrahendo matrimonio utrinque de hypobolo conventum fuerit, ut in restituenda dote adjiciatur, & tantum hypobolum redditur pro pacto convento hypobolum. Sin hoc pratermissum fuerit, neque ulla de eo pactio interposita, tum ab eo, qui dotem reddit, postulatur, ut hypoboli nomine trientem universae summae, in quam dos redacta sit, praestet, verbi gratia, si unius librae dos fuerit, pro hypobolo triens librae persolvetur, utpote XXIV. nummi. Atque hoc quidem apud recentiores in hodiernum usque diem obtinuit; Caterum apud Veteres hypobolum ad dimidiam dotem computabatur Idemque duabus Novellis Leonis, loco eodem subjectis, demonstratur.

Th. VIII.

Atque hic augmentandi dotes mulierum modus etiam apud alias gentes receptus apparet. Siquidem de moribus Francicis & praecipue Tholosanorum testatur Cujacius Lib. V. Observat. Cap. 4. verb. Græci hypoboli loco alias reddidere dimidiam, alias tertiam, nisi aliud conventum fuisset. Moribus Tholosanorum redditur hodie dimidia. Juxta Praxin Germaniæ hodiernam occurrit hoc Lucrum sive augmentum dotis in Pomerania & Neomarchia, atque etiam in Patria mea Ducatu Mecklenburgico in viridi adhuc est observantia. De jure Pomeranico testatur Constitutio von Lehn- und Aussteuer-Sachen de Anno 1649. tit. 7. §. 7. & Mevius Part. II. Dec. 224. it. 228. De Consuetudine Neomarchica asserit Stryk. de Success. ab int. Diss. IV. C. 2. §. 20. Sigillatim vero de Ducatu Megapolitano notat Cothmann. Vol. I. Conf. 50. num. 9. & imprimis Tarnov. de Feud. Mecklenburg. Part. I. Cap. 3. Sect. 2. §. 30. & seqq. ubi num. 30. adducit Ordinationem nostram Provinciale[m] de hoc Lucro dotis sequentibus verbis disponentem sub rubrica: Von Erbschaften, und wie ei-

Mos talis etiam aliis gentibus fuit usitatus.

ner

ner vor dem andern zum Erbe zuzulassen, Text. Als sich auch offters in unserm Lande Irrungen über den Wiederfall der Besserung so einer von Adel aus ihren verstorbenen Mannes Hinterlassenen Lehn-Gütern gegen ihren eingebrachten Ehe-Gelde oder Brautschatz gereicht wird, zutragen. Damit nun hinfüro alle Unrichtigkeiten in solchen Fällen aufgehoben seyn, so ordnen Wir, daß die Besserung nach der Frauen Tode, woferne Sie ohne Kinder abstürbe, oder da Sie gleich zur andern Ehe geschritten, und mit ihrem andern Manne Kinder, aber keine mit dem ersten, gezeuget hätte, wieder dahin falle, woher sie gereicht worden und ausgekommen, und daß ihre Kinder der andern Ehe daran kein Theil noch Erbschaft zu fordern haben, sondern an der Mütterlichen Steuer vergnüget seyn sollen. 26.

Th. IX.

Natales hujus Lucri non sunt ex Jure Roman. Civili, sed ex moribus Provincia-rum Juris Germanici.

Ex traditis proinde constat; quod *natales* hujus *Lucri* ne-
tquam ex Jure Romanorum Civili petendi sint, verum potius
ex *Jure Germanico* deduci debeant. Et quidem quod attinet
Praxin *Pomeranicam* in specie historiam & originem hujus *Lu-*
cri designat *Mevius Part. VI. Decis. 241. n. 12. & seqq.* ubi ait:
Non obstat, quod lucrum seu augmentum dotis, quod die Besserung
vocamus in concursu Creditorum viduae tribuimus. Diversa con-
ditio & ratio ejus est. Quando bona in feudum per Nobiles Pome-
rania recognita fuerunt, hoc vicissim beneficium a Ducibus acce-
perunt, ut viduae ipsorum ex istis dotem & cum ea lucrum recipe-
rent, de reliquo in subsidium debita solverentur. In quam rem
exstat Constitutio, explicans viduarum jura & lucra, edita *Wol-*
lini die 24. Maji 1569. sequentibus verbis: Worüber solches
in der Ehe-Siftung, Vergleichen und Leibzucht, Ver-
schreibungen und beständiglichen nicht versehen, und die
Erbschaften auf die Lehn-Folgere muß fallen und Sie die-
sel.

selben sine beneficio inventarii annehmen, so sollen Sie von Erb- und Lehne die Aussteuer auch alle Schulden tragen, und wo sonst keine andere Schulden als expensæ funerum und Volks-Lohn vorhanden, so sollen dieselbe vor allen aus der gemeinen Erbschaft, neben den Heer-Gewedde, damit das Lohn verdienet wird, und Pferden, wo die vorhanden; vor die Wittfrau abgezogen, und darnach von allen zur Erbschaft gehörig ausserhalb der Baarschaft Kleinod-Ketten, Kleider, Bücher und Rüstung von allen andern, und also auch von Silber-Geschirr, die Helffte in unsern Landen, ausserhalb des Fürstenthums Rügen, da es bey dem dritten Theil bleibet, frey folgen, dazu was die Wittfrau irgend, und in die Güter ihrem Mann zugebracht, ihr auch im Leben beständiger Weise gegeben worden, neben gewöhnlichen Trauer-Kleidern, Wagen, Pferden, Ehe-Geld und Dritten Pfening Besserung frey folgen, nach Gelegenheit der Güter auch mit einer Wohnung oder ziemlicher Heuer zu dero Behueff versehen werden, so lange Sie in unverrückten Wittwen-Stande bleibet und dessen genugsam versichert worden.

Th. X.

Quanquam vero hæc a Mevio allata conjecturalis ratio ad feuda Patriæ Megapolitana applicari non possit, siquidem ex fide historica constat, feuda Megapolis Provincialia si pauca feuda antiqua exceperis, magis esse *data*, quam *oblata*, ita enim Helmoldus in *Chron. Slavor. Lib. I. Cap. 88. n. 9.* asserit: *Henricus Leo Terram Obotritorum divisit militibus possidendam.* Nimirum feuda Megapolitana potissimum a tempore Henrici Leonis traxerunt originem, quippe qui Anno 1181. colonias duxit ex Westphalia, Franconia & præcipue Saxonia in Regiones Megapolitanas, atque militibus suis bene meritis prædia

*Examina-
tur hæc Lu-
cri origo
juxta Con-
suetudines
Patriæ Me-
gapolita-
nas.*

B

Venedis

Venedis erepta sub nexu Vasallagii distribuit. Attamen credibile est, simul hoc viduarum solatium cum Colonia Germanorum inducta transiisse, & initio moribus receptum, postea Lege publica Provinciali confirmatum fuisse.

Th. XI.

*Analogum
ex 7. Civili
adducitur.*

Quanquam ergo origo hujus Lucri moribus & consuetudini Germanorum tantum debeatur; Attamen *analogum* aliquid in Legibus etiam Romanorum Civilibus deprehenditur, in *L. 2. C. de dot. Caut. non num.* ubi maritus donandi animo, aliquid *de suo in dotem adscripsit*, & ut *incrementum doti cedit*, quod Uxor a mariti heredibus petere potest, si nimirum vivus tale quid non revocaverit, siquidem donatio inter Conjuges morte confirmatur, quod pariter concludit *L. 59. ff. de Donat. int. Vir. & Ux.* Add. *Molin. de 7. & 7. Tr. II. Disp. 439. n. 11. seqq.* *Mantic. de tac. & ambig. Convent. Lib. XII. tit. 26. n. 3. & 17.*

*Nec tamen
confundi
debet lu-
crum hoc
cum au-
gmento do-
tis civili.*

Cæterum nostrum hoc Lucrum neutiquam debet confundi cum *augmento dotis*, cujus frequens in jure fit mentio, uti est in *§. 3. 7. de Donat.* ac præsertim in *Nov. XCVII. cap. 2.* ubi in specie *& viro & mulieri augmenta dotis facere permittuntur, sive ambo voluerint, sive etiam horum alter celebrare voluerit augmentum.* Etenim si penitus hæc inspiciuntur, dispar est nostri Lucri & hujus augmenti dotis conditio. Quamvis enim in vernacula nostra tale augmentum civile etiam nomen *der Verbesserung* sortiatur, tamen invicem differunt tam ratione *constitutionis*, siquidem augmentum dotis civile est merum arbitrium & placito partium constituitur; at vero Lucrum dotis ex dispositione Legis Provincialis est inductum tanquam beneficium aliquod commune ac necessarium, quod etiam citra pacta partium debetur; quam ratione *effectus*, est enim augmentum illud dotis civile per *d. Nov. 97. Cap. 2.* valde restrictum & non per omnia doti æquiparatum; At vero nostrum Lu-
crum

crum est *accessio dotis Legalis*, atque pari privilegio ac favore cum dote in Concursu Creditorum gaudere debet. Tarnov. de Feud. Mecklenb. P. I. Cap. 3. Sect. 2. §. 31. Præterea inter se discrepant ratione *finis*, fit enim augmentum dotis civile eum in finem, ut leventur onera matrimonii, & illud maxime favore mariti constituitur; Hoc vero lucrum favorem Uxoris ac viduæ respicit, ut post mortem mariti eo melius dignitatem suam tueri & vitam honeste transigere queat. Cothm. Vol. I. Conf. 50. n. 9. & seqq.

Th. XII.

Differt præterea hoc *Lucrum dotis* provinciale a *dotalitio*, non tantum ratione *quantitatis*, siquidem dotalitium duplum vel quandoque quadruplum dotis continet; at vero lucrum istud dimidiam saltem vel tertiam aut minorem partem dotis constituit, verum etiam in eo, quod *Lucrum dotis* beneficium habeatur ordinarium, ex dispositione juris Provincialis debet; at vero dotalitium est extraordinarium, & non nisi promissum vel constitutum juxta praxin Curiaë feudalis Megapolitanæ debetur. Tarnov. de Feud. Meckl. Part. I. Cap. 3. Sect. 2. t. 30. Unde quoque hoc *lucrum dotis elective* concurrat cum dotalitio, nec potest vidua simul utrumque petere, verum alterutro contenta esse debet. Uti se habet die Hinter-Pommerische Lehns-Constitution Tit. XVII. §. 3. verb. Alle Leibgedings-Beschreibungen so ein mehrers und anders in sich haben, als nach den Land-Privilegien, Constitutionen und Gebräuchen zulässig ist, sind in den Passibus, welche wider jetztgedachte Satzungen und Gebräuche anlauffen, ungültig, und demnach so weit zu cassiren. Darum dann auch solche Patenta nicht bestehen können, wenn eine Frau ihr beydes ein Leibgeding und die Wieder-Erstattung ihres Eingebraachten sammt der Verbesserung zugleich verschreiben lässet.

Quomodo
differat a
Dotalitio
& Dona-
tione pro-
pter nup-
tias.

Confer. Stein *Diss. de Port. Conjug. Statut. in Pomeran. Orient.* §. 25. Pariter etiam in Neo-Marchia hoc lucrum in locum dotalitii cedere notat Stryk. de *Success. ab int. Diss. IV. C. 2.* §. 20. Eadem electio & Jure patritio Mecklenburgico inducta juxta *Art. XVII. tit 12.* in den Project des Mecklenb. Lehn-Rechts ex quo Tarnov. *l. cit.* §. 30. sequentia verba adducit: Da aber der Mann seiner Ehefrauen gar kein Leib-Geding vermachtet, noch versprochen, oder auch die Frau das vermachte oder zugesagte Leib-Geding anzunehmen bedencken hätte, und an dessen Statt die Ihr nach Landes-Gebrauch gebührende Gräuliche Gerechtigkeit wehlen wolte ꝛ. Differentia denique a Donatione propter nuptias clara est, & perspicua; est enim hæc tantum dotis assecuratio, unde & ejus pignus vocari solet, atque soluto matrimonio ad maritum ejusve heredes recidit, neutiquam vero ad viduam pervenit, at nostrum lucrum dotis per legem statim Uxori ex bonis mariti assignatur, & post mortem mariti, viduæ vel ratione proprietatis vel ratione usufructus in realem possessionem ac perceptionem traditur, & ita multo plenior causam in se contine, quam simplex donatio propter nuptias.

Th. XIII.

An debeatur desponsata.

Redditur ita dos cum accessione a marito ejusve hereditibus Uxori, quæ post copulam sacerdotalem in legitimo matrimonio constituta cum viro fuit. Sed num etiam ei debeatur, quæ *desponsata* tantum fuit, & dotem ante contractas nuptias ad maritum intulit, matrimonio deinde, propter mortem sponsi, non secuto, vexata est quæstio. Certe si juxta analogiam Legum Civilium eandem decidere vellemus, affirmativa foret potior, cum enim isto jure & sponsæ de dote actio cum annexis suis privilegiis competat, uti est textus expressus in *L. 74. de Jar. dot.* ibi: *Si sponsa dotem dederit, nec*
nups-

nupserit, vel minor duodecim annis, ut uxor habeatur: exemplo dotis condictioni, favoris ratione, privilegium, quod inter personales actiones vertitur, tribui placuit. Idemque confirmat L. 17. §. 1. de Reb. Aut. Jud. possid. verb. Si sponsa dotem dedit & nuptiis renunciatum est, tametsi ipsa dotem condicit, tamen æquum est, hanc ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum est. Utique dicendum videbatur & tale quid in hoc Lucro dotis procedere debere, cum ex jure accessorii pari favore ac jure cum ipsa dote gaudere debeat, maxime cum Jureconsultus in d. l. ad æquitatis regulam provocet, quæ communis esse omnibus debet arg. L. 8. Cod. de Judic. Verum bene hic erit advertendum, quod Lucrum hoc dotis debeatur ex foro Statutario, jam vero in Statutorum interpretatione non facile a propria verborum significatione est recedendum; quodocunque enim Statutum vel dispositio loquitur de Uxore, cum certa qualitate, ea qualitas in sponsam, licet de præsentis, non cadit. Phanut. de Lucr. dot. verb. nupta. num. 71. Benckendorf. de Jur. Mulier. Fall. 1. Sect. 2. Memb. 5. part. 2. art. 1. num. 61. 62. & seqq. Quanquam enim alias Statuta magis secundum quam contra Jus commune sint interpretanda; attamen hoc procedit, ubi par est juris ratio, secus ubi disparitas causæ ac rationis apparet, siquidem in repetitione illatæ dotis, etiam sponsa repetens dotem ante nuptias illatam, certat de vitando damno, & inde æquum est, ut quod spe matrimonii ineundi dedit, etiam jure & favore dotis repetere possit; At vero in hoc lucro dotis uxor vult captare *lucrum*, cujus dispar proinde est conditio, ut sic hoc casu interpretatione quadam extensiva, privilegium dotis, quoad illud lucrum scilicet, ad se trahere non debeat. Nec tamen præcise requiritur copula carnalis, sed sufficit, juxta instituta Saxonum & jura antiqua Germaniæ sola consensio thalami. Tarnov. de Fend. Mecklenb.

l. cit. §. 33. Verum annon sponsa in pactis dotalibus sibi etiam in casum defuncti ante nuptias sponsi, hoc Lucrum dotis stipulari queat, prout cautelæ loco suggerit Stryk. *in Dissert. de Jur. Mar. in bon. Uxor. C. 2. §. 77.* non est extra omnem dubitationem positum, cum talis petitio onus aliquod feudi & gravamen hæreditatis inducat, quale quid contra textum Statuti inferre, periculosum sane est, cum ea potestas Vasalli non sit, feudum sine consensu Domini atque Agnatorum vel simultaneous investitorum onerare. Accedit & illa ratio, quod tale lucrum detur Uxori propter intercepta per mortem Mariti alimenta, atque ad dignitatem mariti, quam etiam vidua retinet, honestius tuendam; At vero illæ rationes in sponsa cessant, quæ dignitate sponsi nondum gaudet, neque etiam alimenta e domo sponsi ante deductionem in domum prætere tendere potest. Tiraqu. *de LL. Connub. Gloss. 2.*

§. XIV.

Requiri-
tur ut Dos
sit illata.

Ad hoc vero ut *Lucrum hoc dotis* efficaciter peti queat, requiritur principaliter; *Ut dos ad Maritum illata sit.* Habetur enim tale lucrum tanquam dotis accessorium, quod proinde principale aliquod supponit, sine quo nequit subsistere. Atque idcirco lucrum dotis petens prius docere debet *dotis constitutionem*, si enim nulla proferatur dotis constitutio tunc, ubi nulla dos est, nec dotis augmentum sive lucrum erit, siquidem invicem ut correlata habentur. Wintziger *Annot. ad Stryk. Exam. feud. Cap. XXI. qu. 17.* Sufficit autem sola illatio ad maritum facta, neque necessario requiritur, ut etiam in feudum *versio* probetur; Uti de Jure *Pomeranico* expresse testatur Mev. *Part. II. Dec. 299.* idemque de Jure *Megapolitano* asserit Scharfius Jctus patrius *in Consult. Jur. in Cons. 82. n. 121.* Quæ quidem satis recte se habent, quando dos per promissionem constituta, ante matrimonium, vel durante eo, illata fuerit; Ve-
rum

rum an idem, & soluto matrimonio, fieri liceat, ad effectum participandi hujus lucri, quaeritur? Profecto ad petendum dotalitium hoc sufficit, juxta tradita Struv. *Synt. Jur. Feud. C. XIV. §. 10.* Brunnem. *Cent. IV. Dec. 49. n. 3.* verum an idem procedat in petendo hoc lucro dubium ex eo redditur, quod manifesta sit inter dotalitium & hoc lucrum disparitas. Siquidem dos in feudum illata ac versa, per acceptatum dotalitium absorbetur, & sic illud, quod fructibus ac successoribus feudi per aliquod tempus, vivente nimirum vidua, decedit, compensatur & suppletur rursus per illationem dotis, quæ, extincto licet dotalitio, penes feudum irrevocabiliter remanet. At vero tale lucrum Uxor una cum dote repetit, nec vicissim aliquid in feudum præstat, sed capit tanquam merum lucrum; Jam vero qui beneficium Legis vel Statuti appetit, debet conditionem a Lege positam specificè adimplere. *Mey. Part. V. Dec. 63.* Ad hoc vero ut dos illata habeatur, non præcise requiritur ut v. g. quantitas marito sit actualiter soluta vel tradita, sed sufficit fructus aut usuras inde a Marito jure crediti fuisse perceptas, siquidem marito permissum est, etiam jure crediti dotem recipere, & possessionem fundi dotalis alii relinquere, si modo fructus inde lucretur *L. 19. ff. de Jur. dot.* In quam rem speciale extat præjudicium apud *Mey. Part. V. Dec. 64.* In Sachen Julius Paul Schmalkshagen und Consorten Imploranten wider Catharinen Rieben Siewert Dechowent Wittwe, Implorantinne in puncto lucri dotis wird nach Beschluß der Acten vor Recht erkannt, daß Imploranten wider die den 16. Dec. 1651. publicirte Urthel so weit in integrum zu restituiren und zu erkennen sey, daß bemeldte Wittwe noch zur Zeit zu der geforderten Verbesserung erkandter massen nicht zu verstaten, sondern da sie bey dessen Forderung beharren wolte, zu vorher so wol die Constitu-

stitu-

stitutionem des angegebenen Dotis, als auch daß ihr Ehemann solch Ehe-Geld bey ihrem Vater zins tragend gemacht, zu beweisen schuldig. ic.

Th. XV.

Reputatur
pro onere
feudi.

Habetur vero tale *Lucrum* juxta mores Pomeranicos pro onere Feudi, adeoque inter Nobiles ab invitis quoque Successoribus feudalibus tale ex feudo præstari debet, licet in constitutionem dotis non consenserint Cothmann. *Vol. IV. Resp. 8. n. 18.* Stryk. *de Success. ab int. Dissert. IV. C. 2. §. 20.* Idem de Jure patrio *Megapolitano* obtinet, teste Scharfio in *Consult. Jur. Conf. 82. num. 113. 114.* Quod tamen ita temperandum venit, ne feudum in infinitum gravetur, unde talis *quantitas dotis* erit a marito suscipienda, cujus proportionatum *lucrum* substantiam ac pretium feudi non exhauriat. Cum enim præter hoc *lucrum* etiam alia adhuc sint onera feudi, jure communi feudis inhærentia, uti est dotatio filiarum &c. idcirco & illorum ratio, in constituendæ & suscipiendæ dotis quantitate omnino habenda. Atque ideo hoc passu tum ad pacta familiarum, mores Regionis, ac etiam qualitatem feudi erit respiciendum, ne nimis onerosa fiat illa *lucris* dotis præstatio, in qua re ad arbitrium domini directi & æquitatis regulam est referendum. Scharf. *l. cit. n. 116. 117.* Cæterum an Successores feudi in subsidium saltem, deficiente nimirum allodio, ad tale *lucrum* teneantur, quæritur? Certe in allegatis constitutionibus Provincialibus nihil certi hac de re est definitum. Unde primario in hujus quæstionis decisione ad consuetudinem & observantiam cujusvis loci est respiciendum arg. *L. 32. 33. ff. de Leg.* Quod si vero neque de hoc appareat, ad Jus Commune feudale erit quæstio reducenda, ac proinde hoc respectu, pro obligatione *successoris feudalis subsidiaria* pronunciandum videbatur. Constat enim, quod de Jure Communi onera feudi

An in subsidium tale *lucrum* ex feudo debeatur? quæritur.

feudi ita sint comparata, ut nisi versio quædam in ipsum feudum sit facta, illa in subsidium saltem ex feudo solvi debeant, juxta textum *II. feud. 45. Schultes ad Modest. Pistor. Part. III. quest. 22. n. 68. Berlich. P. 2. Concl. 55. num. 39. & seqq.* At vero si originem & natales hujus Lucri penitius consideramus, contrarium omnino erit dicendum, scil. illud inter Nobiles ex feudo deberi, quanquam supersit allodium, siquidem ex supra traditis clarum est, hoc *lucrum* tanquam *singulare ac reservatum ex feudo beneficium* haberi, ut eo meliorem vitæ sustentationem vidua post mortem mariti invenire queat. Quod si ergo ejus præstatio ex hereditate allodiali principaliter fuerit debita, illud quod in favorem ac beneficium Viduæ fuit introductum, contra regulas juris, in illius odium detorqueretur, ex eo, quia in hæreditate allodiali plenior est mariti dispositio, & successio vel pactitia vel statutaria Conjugi superstiti jam ante hoc & per se debetur; Quod si vero tale lucrum ex allodio reciperet, tantum fere ipsi de sua portione hereditaria, imminuta nempe hoc modo massa hæreditatis, decederet, quantum ipsa ex feudo lucrari deberet, & ita neutiquam lucrum aliquod sentiret, id quod tamen contra naturam ac institutum lucri illius dotalis foret.

Th. XVI.

In *summa ac quantitate* hujus augmenti dotalis variatur, alibi enim *dimidia*, alibi *tertia*, nonnullibi est *quarta pars* dotis. Jure patrio *Megapolitano* consistit illud in *medietate dotis*, puta, quando uxor in dotem dederit quadringenta, defuncto marito, sexcenta repetit; In *Pomerania Occidentali* *Wolgastischer Regierung* eadem quantitas hujus Lucri est determinata, teste Gerdes. Prof. Grypswald. in *Dissert. de Oner. feud. §. 15.* Ast in *Pomerania Orientali*, ut & in *Insula Rugiensi*, tantum *tertiam partem* dotis hoc lucrum conficit. Tarnov. de Feud.

*Summa
Lucri va-
riat.*

C

Meck-

Mecklenb. Part. I. Cap. 3. Sect. 2. §. 34. Imo vult Mevius *P. VI. D. 31. n. 1.* quod per Pomeraniae Legem ac Consuetudinem viduae nobili pro lucro augmentum, seu *Besserung*, debeatur sesquialterum so viel als das Ehe-Geld ist.

Th. XVII.

*Quatenus
pactis sum-
ma variari
queat.*

Potest etiam ex *conventionem* alia quantitas determinari, cum hac tamen differentia, ut portio moribus vel Statutis determinata tantum successores feudales stringat, neque enim ultra feudum gravare permissum est. Si vero *major* quantitas, quam Statutis ac moribus convenit, definiatur per pacta, superfluum ex allodio solvendum ab hæredibus illius, utpote qui ex nexu hæreditario pacta & conventiones defuncti servare debent *L. cum a matre 14. C. de R. V.* ita tamen, ut juxta beneficium inventarii, & deducto prius ære alieno, tale quid exsolvere debeant, per ea, quæ tradit Mev. *Part. VI. Dec. 241.* Ac proinde successores feudales ad tale superfluum non obligantur, nisi in illud speciatim consenserint. Ludwig *in Dissert. de Dot. Marit. Differ. 2. litt. b.* Richter *de Privileg. Cred. Sect. I. num. 56. & 62.* Idque in Marchia similiter obtinet, teste Stryk. *in Dissert. de Vidua Nobili Marchica Cap. 3. num. 26.* Eodemque collimat §. 18. *Reversalium Patriæ de Anno 1621.* verba: *Es wäre denn in der Heyrahts und Witthums Verschreibung so mit Fürstlichen und Väterlichen Consens aufgerichtet ein anders verschrieben.* Cæterum si *minor* quantitas, quam ordinarium quantum infert, pactis dotalibus assignata fuerit, utique cum illo quanto vidua contenta esse debebit, quod semel placuit, potest enim quilibet favori pro se introducto renunciare Mev. *Part. VI. Dec. 31.*

Th. XIIX.

*Quomodo
aeferatur
viduae hoc
lucrum.*

Defertur hoc *augmentum dotis* de Jure Pomeranico viduae, statim post mortem mariti, adeo, ut quamvis vidua pari-

tes

ter mox post maritum decedat, tamen jus petendi tale augmentum ad hæredes suos transmittat. Stryk. *de Success. ab intest. Dissert. IV. C. 2. §. 20.* Siquidem ex dispositione Legis ac Consuetudinis tale lucrum ipsa bona mariti afficit, atque ideo, casu mortui mariti existente, diminutionem bonorum ipso jure inducit, & jus ad viduam devolvitur, quod semel vero devolutum ac sibi quæsitum, ad hæredes omnes transmittit. Id quod tamen eatenus intelligendum est, quatenus ipsa *proprietas* lucri ex lege vel more Provinciali ad viduam superstitem refertur.

Th. XIX.

Constituitur autem hoc Lucrum dotis, ad instar dotalitiæ, vel ita, ut certus *fundus* tradatur viduæ, unde redditus ad quantitatem lucri proportionatos annuatim percipiat; vel ita, ut usuræ ex certa sorte percipiendæ eidem assignentur. Atque in hoc sensu accipienda sunt verba Art. 32. Project des *Mecklenburgischen Lehn-Rechts* verb. *Es hat die Frau die Besserung, nicht anders denn Leib-Gedings-Art zu genießen.* Nimirum mortuo marito vidua dotem illatam statim atque integram, jure plenæ proprietatis recipit; At vero Lucrum dotis Jure patrio *Megapolitano* non *plene* capit, propter dubium mortis liberorum eventum, ac propterea per modum ususfructus interim possidet, donec de eventu conditionis legalis constiterit. Committitur vero arbitrio & pacto partium, an lucrum ex redditibus certi fundi, an ex usuris assignatæ sortis præstari debeat. Tarnov. *de Feud. Mecklenb. Cap. 3. Sect. 2. §. 35.*

*Objectum
Lucri.*

Th. XX.

Assignatur hoc Lucrum Viduæ diverso jure, nimirum *Pomeranico* ac *Neomarchico*, datur hoc augmentum jure *proprietatis*, adeo, ut si dotem 4000. intulerit, statim 6000. ex bonis

*Quo jure
deferatur
Lucrum.*

mariti recipiat. Stryk. *de Success. ab int. Diff. IV. Cap. 2. §. 20.* At jure patrio *Mecklenburgico* distinguitur, an vidua liberos ex isto marito, ex cujus bonis augmentum tale acceperit, relinquat, nec ne. Priori casu lucrum illud irrevocabiliter retinet atque ad liberos transmittit. Posteriori casu ad Successores Mariti, unde provenit, recidit, ut ita *jure usufructus* atque in vim taciti *fidecommissi* illud lucrum detineat, & sic ex eventu jus illius dependeat. Atque id declarat *Ordinatio Politica Patrie*, sub titulo von Erbschafften, und wie einer vor dem andern zum Erbe zuzulassen. verb. Als sich auch öftters in unserm Lande Irrungen über dem Widerfall der Besserung, so einer von Adel aus ihres verstorbenen Mannes hinterlassenen Lehn-Gütern gegen ihren eingebrachten Ehe-Geld oder Brautschatz gereicht wird, zutragen; damit nun hinführo alle Unrichtigkeiten in solchen Fällen aufgehoben seyn, so ordnen wir, daß die Besserung, nach der Frauen Tode, woferne sie ohne Kinder absterbe, oder da sie gleich zur andern Ehe geschritten, und mit ihrem andern Manne Kinder, aber keine mit dem ersten gezeuget hätte, wieder daheim falle, woher sie gereicht worden und ausgekommen, und daß ihre Kinder der andern Ehe daran kein Theil noch Erbschafft zu fordern haben, sondern an der Mütterlichen Steuer vergnüget seyn sollen. Tarnov. *de Feud. Mecklenb. Part. I. Cap. 3. §. 30.*

Th. XXI.

*Cautio
exigitur.*

Propter hunc proinde recadentiae eventum, tenetur vidua ad exemplum & analogiam usufructus, ad *cautionem* illis praestandam, qui spem recusus habent. Sin vero cautionem praestare nolit vel non possit, & Successores idoneam cautionem de solvendo annuo quanto, loco usurarum vel fructuum eidem offerant, repudiare illam non potest. Uti disponit

Artic.

Artic. 31. Tit. 12. des projectirten Mecklenburgischen L. Rechts. verb. Und soll demnach die Frau, so die Besserung fordert, den Wieder-Fall entweder des Mannes Land-Erben, Lehn-Folgern und Lehns-Erben gnugsahm verbürgen und versichern, und darauf die Verbesserung bekommen, oder aber von des Mannes Land-Erben, Lehns-Folgern oder Lehns-Herren genugsahme Verbürgung und Versicherung der jährlichen Rente halber annehmen, und dagegen bey Ihnen die Besserung bleiben und stehen lassen, welches denn zu ihren freyen Willkühr gestellet seyn soll. Tarnov. l. cit. §. 35.

Th. XXII.

Quaquam vero hoc lucrum dotis potissimum in casum mortis conceptum sit, ad hunc nimirum effectum, ut vidua post mortem mariti, honestam vivendi conditionem retineat; Attamen propter paritatem rationis per modum interpretationis *declarativa* etiam accipi debet de alio casu, quando matrimonium sine culpa Uxoris dissolvitur, & ita ipsa alimentatio ac cura mariti destituitur, ubi pariter hoc lucrum capit: Siquidem istis casibus, quibus etiam aliquando constante matrimonio, dotis repetitio juxta L. 29. & L. 30. C. de Jur. dot. conceditur, datur etiam hæc petitio *lucris*, tanquam *accessorii dotis*. Atque hinc est; quod si maritus ad inopiam devertat, & circa bona illius moveatur *Concurfus*, simul cum repetitione dotis Uxori quoque competat petitio hujus *Lucris*, quippe quod pari passu cum dote ambulare dicitur. *Mey. Part. VI. Dec. 241. num. 13.* Et plenius adhuc atque apposite in hanc rem loquitur *Part. VII. Dec. 229.* Cujus verba, maxime thesin nostram illustrantia, non pigebit adscribere, sunt vero sequentia: *Ex privilegiis Nobilium Pomeraniae ut & Constitutionibus moribusque Provincialibus uxores Lucrum dotis ex maritorum bonis*

An debeatur hoc Lucrum in Concurfu.

capiunt, dimidiam nempe partem ejus quantitatis, quam pro dote attulerunt. Inde inter pacta dotalia simul de eo convenire solet. Concipiuntur autem hæc, quemadmodum & illa sonare videntur, de casu mortis mariti. Unde in disceptationem venit, si maritus vivus facultatibus lapsus ad cessionem bonorum deveniat, utrum perinde Uxori lucrum dotis debeatur inter Creditores? Videri quidem ab initio potuit in unam causam datum ad aliam non esse extendendum, præsertim cum ex privilegio & consuetudine, quæ stricti juris sunt & strictissime accipienda res illa descendat. Præterea illa lucra dotium sunt odiosa, præsertim ubi cum Creditoribus contenditur, qui de damno vitando certant, idcirco ante habendi de lucro captando certantibus. At re rectius perpensa existimatum fuit, non minus depauperato & bonis cedente marito, quam eo mortuo, lucrum illud perinde ut dotem deberi. Est enim hoc beneficium quoddam singulare Uxoribus Nobilium datum. Cujus solutio etsi in casum mortis suspensa est, debitum tamen non est morti velut cause aut conditioni illigatum, sed statim debetur, tantum ante mortem non præstatur. Propter mortem itaque non competens non potest ob illam non secutam credi sublatum. Deinde miserabilis casus depauperationis non est modus tollendi illud debitum, sed potius causa petendi, quo Uxor post obitum mariti de eo securam fiat. Eoque magis instar alterius cujusque debiti in concursu peti potest, si & pactis dotalibus idem promissum fuerit. Ea est ejus debiti ratio, qualis alterius cujusque; quod in diem certum debetur, cujus in Concursu Creditorum petitio admittitur. &c.

Th. XXIII.

An eodem
jure Præla-
tionis gau-
deat hoc
Lucrum

Verum hic maxime disceptatur; An tale Lucrum in Concursu eodem prælationis jure gaudeat ac ipsa dos? Certe affirmativam sequitur Stryk. in Exam. Jur. Feud Cap. 21. quest. 18. eandemque jure Pomeraniæ certam esse monet Winziger. in An-

not.

not. ad d. l. qu. 17. 18. & probat Mev. Part. II. Dec. 228. n. 4. ubi ad Conclusiones Stettinenses provocat. Eandemque sententiam analogiæ Juris atque æquitati nec non intentioni Legislatoris Provincialis maxime consentaneam esse arbitramur, adeoque in Praxi merito præferendam censemus, quatenus nimirum vel per Observantias locorum vel ordinatione Provinciali contrarium non est receptum. Et quidem nostram hanc assertionem ex sequentibus rationibus tuemur (I.) quia constat, quod hoc Lucrum, juxta mores, pars habeatur dotis, adeoque pari prælationis jure cum ipsa dote collocari debet. Stryk. l. cit. quest. 18. (II.) Est recepti juris; quod omnia Statuta ita sint interpretanda, ut cum analogia Juris communis maxime convenient, ad hoc enim se Legislatores Provinciales in dubio retulisse præsumuntur. Jam vero in Th. XI. superius adductum fuit, quod hoc Lucrum dotis Provinciale sit analogum additamenti dotis, quod in Legibus civilibus occurrit. Cum vero hoc additamentum civile pari jure cum dote ipsa habeatur, prout Papinianus dilucide in L. 26. §. 2. de Pact. dotal. asserit, ibi: *Cum inter patrem & generum convenit, ut in matrimonio sine liberis defuncta filia dos Patri restituatur, id actum inter contrahentes intelligi debet, ut liberis superstitis filia defuncta dos retineatur, nec separabitur portio dotis, additamenti causa data, si postea nihil aliud conveniat.* Ac simili sensu decidit Gordianus Imper. in L. 8. C. de Jur. Dot. Igitur etiam analogum Juris Provincialis pari privilegio dotis cense-ri, & sic prælationis jure in Concursu una cum dote recte gaudere debet. Idque eo magis procedit, quia tale lucrum per modum beneficii legalis viduis debetur, atque ideo latissime in illarum favorem est interpretandum. arg. L. beneficium 3. ff. de Const. Princip.

veluti ipsa
dos disqui-
ritur.
Affirmatur
& addu-
cuntur ra-
tiones.

Th. XXIV.

Th. XXIV.

*Rationes
in contra-
rium ad-
ducuntur
Et refellun-
tur.*

Non tamen desunt rationes in contrarium, quibus assertio nostra dubia redditur, & nascitur ratio dubitandi. (I.) Ex eo, quod tale augmentum dotis post nuptias factum, incidat in speciem prohibitæ inter Conjuges donationis, ac proinde non possit subsistere, multo minus ergo privilegio quodam gaudere queat. Sed respondetur, nos non negamus titulum quendam lucrativum, respectu Uxoribus hic subesse; at vero negamus minorem, sive adesse in hac specie facti exemplum donationis prohibitæ. Datur enim hoc Lucrum Uxoribus a Lege Provinciali etiam citra conventionem partium, & ita pacta dotalia inter Conjuges, quæ forte super tali lucro disponunt, non inducunt demum illud, sed tantum modificant, & certa ratione determinant, & ita portionem hanc vidua originarie non vi promissi, sed tanquam beneficium juris capit. Deinde (II.) adversatur; quod Creditores certent de vitando damno, vidua vero de captando lucro. Ergo illorum conditio debet esse omnino potior, neque huic in præjudicium illorum jus prælationis concedi debet; *R.* Uti quilibet gnarus esse debet conditionis illius, cum quo contrahit *L. 19. ff. de R. I.* ita quoque Creditores in istis Provinciis, ubi tale Lucrum obtinet, contrahentes cum Uxorato, sciunt, aut scire debent, quanta sit Uxoribus dos, & quantum ejus lucrum, & ita apud se explorare necesse habent, quousque debitoris mariti personæ vel bonis fides habenda sit aut non; Quod si ergo improvidi fuerint, & ita damnum aliquod senserint, debent id potius suæ facilitati vel negligentia imputare, neutiquam vero inde dispositioni Legis Provincialis saluberrimæ aliqua iniquitatis nota affingi potest. Atque exinde quoque facile occurri potest (III.) rationi dubitandi, quam Adversarii movent; Quod tale Statutum de Lucro dotis, sit irrationale ex eo, quod jus tertio quæ-

quæ-

quæsitum auferat, & lucrum anteponat anterioribus Creditoribus ex conventionem vel lege jus ex tempore antèrius habentibus. Resp. 1) quod attinet illos Creditores qui habent hypothecam tacitam seu legalem anteriorem, hi certe de injustitia conqueri non possunt, beneficium enim a lege concessum, potest per contrariam Legem vel consuetudinem posteriorem adimi ac tolli. Quod vero 2) Creditores conventionales attinet, qui hypothecam expressam conventionem constitutam habent anteriorem; circa illos quidem Jure Communi res adhuc maxime est controversa, & putant plures Dd. quod privilegium, augmento dotis civili competens, non a prima dotis constitutione, sed demum a die incrementi incipiat. Struv. Synt. Civ. Exerc. XXVI. th. 14. n. 3. it. Exerc. XLIV. th. 49. num. 1. At vero circa hanc quæstionem versamur in foro Statutario ac Provinciali, ubi per expressam dispositionem privilegium hoc prælationis lucris hujus est confirmatum, adeoque ad dubia, quæ ex foro Juris Civilis forte moventur non potest attendi. Deinde patet ex origine & primo instituto Lucris Provincialis, quod per *reservationem* quandam *antedaneam* jura Creditorum, fuerit Uxoribus seu viduis concessum, adeoque haberi debeat tanquam *debitum legale & necessarium*, quod bona per se afficit, & jura omnium Creditorum antevertit. Uti enim Creditores non possunt conqueri de Collectis publicis, licet posterioribus, sibi anteferendis; ita quoque tale lucrum, instar publici alicujus debiti bona afficit debitoris, minuit, & sine dispendio rationabilitatis, Jura prælationis in Concursu Uxori aut viduæ tribuit.

§. XXV.

Remotis ergo dubiis, nostra sententia affirmativa adhuc ampliatur 1) ut locum habeat hoc privilegium prælationis Lucris dotis competens, non tantum in illo Concursu, qui a

Ampliationes sententiae affirmative traduntur.

D

Cre-

duntur.

Creditoribus, invito debitore marito, excitatur, verum etiam si ipse maritus ad Concursum provocet, forte cedendo bonis; Est enim utrinque eadem privilegii ratio, nec potest factum mariti Uxori in jure ex propria sua persona quæsito præjudicare *Mev. Part. VII. Dec. 129.* Ampliatur 2) ut Lucrum hoc dotis secundæ Conjugi debitum anteferatur paraphernalibus primi Conjugis, siquidem hæc simplici tantum hypotheca gaudent; illud vero singulari prælationis jure. *Mevius Part. II. Dec. 228.* Ampliatur 3) ut Uxor Lucrum hoc dotis petere possit, licet maritus eandem dilapidaverit, uti ex Constitutionibus Stetinensibus *Tit. VII. Conclus. 8.* refert. *Mev. Part. II. Dec. 224. num. 7.*

Th. XXVI.

*Declaratio
quædam
ponitur.*

Haud vero Uxori tale Lucrum in Concursum ita adjudicatur, ut statim capiat, sed tantum ut ex bonis mariti separetur & sequestretur, quod ad illud sufficiat, nec enim nisi mortuo marito ordinarie præstatur, & ita, tali casu, interim fructus relinquuntur Creditoribus: Et quoque portio illa remanet in massa bonorum & in concursu, si Uxor ante maritum moriatur. *Mev. Part. VII. Dec. 129.* *Winzig. Annot. ad Stryk. Exam. Feud. Cap. 21. quest. 18.*

Th. XXVII.

*Limitatio
subjicitur
ex Jure
Patriæ Me-
gapolitano
& Pome-
ranico.*

Caeterum hoc privilegium prælationis quod *Lucro dotis* originarie competere debet, limitatur jure Patriæ Megapolitano. Sic enim in Ordinatione Dicasterii Provincialis *Part. II. Tit. 25.* disponitur: *Daß eine Ehe-Frau in Concursum Creditorum die Land-übliche Besserung nicht zu genießten, sondern allein ihren eingebrachten Braut-schatz, daferne sie zu-forderst beweißlich und wie Rechtens gnugsam darthut, daß derselbe realiter numeriret sey, zu fordern haben soll.*

Pari-

Pariter provisum in dem Project des Mecklenburgischen Lehn-
 Rechts *Artic. 40.* verb. Trüge es sich zu, daß der Lehn-
 Mann bey seinen Lebens-Zeiten von wegen der Schulden-
 Last seine Lehn-Güther denen Creditoren abtreten oder son-
 sten verkauffen müste, so hat die Frau allein ihren Braut-
 schatz zu fordern, und ist zu dem Leib-Gedinge oder Ver-
 besserung keinesweges berechtigt. *Add. Tarnov. de Feud.*
Mecklenb. C. 3. Sect. 2. §. 36. Præterea juxta Constitutionem
 Pomeraniæ de Anno 1694. von Lehn- und Aussteuer-Sachen
Tit. IX. §. 1. hoc privilegium prælationis, Lucro dotis conces-
 sum, cessare. si Creditores, *expressam anteriorem hypothecam*
 habentes concurrant, notat Ludovici in *Concurs-Process. Cap.*
10. §. 32.

Th. XXVIII.

Cessat præterea hujus Lucri petitio, si vidua semel *Electo do-*
litium elegerit, utrumque enim petere non potest. In quam *talitio ces-*
 rem diserte disponit. Die Hinter-Pommerische Lehns-Con- *sat petitio*
 stitution *Tit. XVII. §. 4.* verb. Wenn ein Leib-Geding ver- *Lucri.*
 schrieben, kan dennoch nach des Mannes Tode die Wittwe
 wohl variiren, und ihren Braut-schatz cum augmento, wie
 auch andere illata zurück fordern, und das Leib-Geding
 verlassen. Sie muß sich aber desfalls innerhalb 3 Mona-
 then von Zeit des Mannes Absterben beständig erklären.
 Daferne sie nun solche Zeit, so continue zu rechnen, hätte
 vorbey gehen lassen, oder das Dotalitium einmahl erwäh-
 let, und bezogen; So kan sie hernach davon nicht wieder
 zurück treten, sondern muß bey dem Leib-Geding verbleiben,
 und haben ihre Erben nach ihrem Tode wegen des Braut-
 schatzes, als welches dadurch heimgefallen, nichts zu præten-
 dire, ohngeachtet pacta in contrarium verhanden seyn mögten.
 Nisi foemina fortasse minorennis aut graviter læsa vel per er-
 rorem

rorem aut dolum inducta fuerit, tum enim variandi adhuc facultatem & regressum ad petendam dotem retinet, juxta tradita Müller. *in Resolut. March. Resol. 87. num. 13.* Jure denique Patrio, quando vidua ad secundas nuptias transierit, amittit quidem dotalitium, verum repetitionem dotis suae illatae augmenti habet, juxta verba Assurationis, quae adducit Tarnov. *de Feud. Mecklenb. loc. cit. §. 37.* ibi: Daß auch vors 25ste Sie die verwittibte Ehe-Frauen, wenn Sie zur andern Ehe schreiten, ihren einhabenden Witthum gegen Erstattung des eingebrachten Ehe-Geldes Besserung und was dem anhängig, dem Lehns-Folger cediren und abtreten, achten wir dem Herkommen und denen Rechten gemäß.

TANTUM.

